

Año 21.<sup>o</sup> Sábado 5 de Setiembre de 1874. Núm. 17.<sup>o</sup>



## BOLETIN ECLESIÁSTICO

DE LOS OBISPADOS DE

# SALAMANCA Y CIUDAD-RODRIGO.

### DECRETUM S. CONGREGATIONIS CONCILII.

*Vi cuius Ecclesiasticis Provinciis Venetæ ac Mediolanensi,  
singulisque Diœcesibus Patriarchali ac Metropolitanæ juris-  
dictioni subjectis applicantur ea omnia quæ pro Helvetica fæ-  
deratione, quoad popularem Parochorum electionem sapientis-  
sime constituta sunt in nuperrimis Litteris Encyclicis die 21  
Novembris 1873.*

Actuosi iniquarum sectarum asseclæ, qui ubique fere rerum  
potiti omnem pervertere ordinem, ipsaque Constitutionis Eccle-  
siæ Christi fundamenta suffodere conantur, etiam in catholica  
Italia plebes commovere audent, ut imitantes nefarium quorum-  
dam Helveticorum exemplum, jus eligendi proprios animarum  
curatores sibi audacter usurpent. Nec, quod deterius est, defuit  
inter aliquos perditissimos ecclesiasticos viros, qui munus pa-  
rochiale tam perverse sibi delatum suscipere, atque etiam obire  
impudenter præsumperit. Detestabile sane facinus, quod  
Ecclesiasticam Hierarchiam evertit funditusque pessumdat:  
siquidem *docendus est populus*, inquit Cœlestinus Papa, *non  
sequendus, nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non li-*